# THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA EXCERPTAE QUAS PUBLICE...

Agostino Bacinello

# THESES

EX

# UNIVERSA THEOLOGIA

EXCERPTAE

QUAS

PUBLICE DEFENDENDAS STATUIT

P. AUGUSTINUS BACINELLO E VENETIIS

ORD. MIN. S. FRANC. CONV.

PRO

SACRA THEOLOGICA LAURO

IN C. R. PATAVINA UNIVERSITATE

ADIPISCENDA

VENETIIS

APUD SEBASTIANUM TONDELLI

1849.

FELICITATI SCORDILLI-BACINELLO

QUOD EJUS SOLERTI AC POTISSIMA CURA

AD SUMMOS ACADEMIAE HONORES

PERVENIRE MERUERIT

LAURUM HANC

MATERNIS LACRYMIS RIGATAM

PRIMOGENITUS FILIUS

PIENTISSIME AC PERAMANTER

DICAT.

## EX ARCHÆOLOGIA BIBLICA.

1. Judæorum fides Messiam adhuc expectantium vel ex eo falsa apparet, quod Messias juxta Michææ vaticinium Bethlehemi esset nasciturus, oppidum autem Bethlehemi a fundamentis excisum est, nec illius vestigia modo apparent.
2. Inter absurda amandanda est sententia illorum, qui opinati sunt, annos Patriarcharum fuisse nostris breviores.
3. Mosen non docuisse nisi Jehovam Deum tutelarem Hebræorum, seu nationalem, penitus falsum est.
4. Pharisæi traditiones et decreta majorum legibus divinis non tantum æquiparabant, verum etiam præferebant.
5. Hebræis indulgendum, si quando belli rigore usi sunt, ut propriæ securitati consulerent.
6. Idololatria nunquam tam late grassabatur inter Hebræos, quam sub judicibus, qui et ipsum sacrum tabernaculum hac fœditate polluerunt.

## EX INTRODUCTIONE IN LIBROS VETERIS FOEDERIS.

1. SS. Patres haud accusant Judæos, quod ante Christum, florente adhuc Synagoga, Sacros Codices violaverint.
2. Interpolatio, quam videntur nonnulli ex SS. Patribus Judæis objecisse, sæpe interpretationem respicit, non sensum.
3. Samuelem, ex commentariis diversis temporibus exaratis, Judicum historiam collegisse et concinnasse supponimus.
4. Prophetæ, quæ futura erant, non verbis solummodo, sed actionibus quoque symbolicis prænuntiabant.
5. Vi divinæ potentiæ immittebatur in regem Nabuchodonosorem morbus qui lycanthropia, rectius busanthropia, vocatur.

## EX HERMENEUTICA BIBLICA.

1. In multis Sacrarum Scripturarum locis adest sensus literalis-mysticus.
2. Providentissime statutum est a Concilio Tridentino ne versio Scripturæ in lingua vernacula emittatur nisi ab ipsa Ecclesia probata.
3. Typos non tantum historicos et morales, sel vel propheticos extitisse in lege Mosaica nemini dubium esse potest.
4. Ad verum sensum Sacræ Scripturæ inveniendum, regula optima est, ut locus, cujus sensum investigamus, cum antecedentibus et consequentibus conferatur.
5. Scientiæ quoque et artes profanæ ad Sacrarum Scripturarum studium quamplurimum conferunt.

## EX INTRODUCTIONE IN LIBROS NOVI FOEDERIS.

1. Characteres ingenuitatis tum intrinseci cum extrinseci mirum in modum Libris Novi Foederis competunt.
2. In Evangeliis frequenter varietas apparet non contradictio; exinde autem veritas historica non infirmatur sed potius roboratur.
3. Alienum a veritate arbitramur, quod Johannes Evangelium scripserit in insula Patmos.
4. Qui contendunt, antiquos Patres Evangelia spuria una cum veris recepisse, summam ignorantiam produnt et impudentiam.
5. Canonicam Epistolæ Pauli ad Hebræos auctoritatem, SS. Patrum testimonium et unanimis Ecclesiæ consensus evincit.

## EX HISTORIA ECCLESIASTICA

1. Electiones sacræ, primis Ecclesiæ temporibus testimonio populi non judicio, præsente et consentiente plebe, non eligente fiebant.
2. Opera Tertulliani sub titulo = De fuga in persecutione — de jejuniis — de monogamia — de pudicitia — de exhortatione ad castitatem = quatenus in favorem sectæ Montanistarum, conscripta, parce a catholicis adhibenda sunt.
3. S. Cyprianus restitit S. Stephano S. P. in celeberrima de rebaptizandis hæreticis disputatione, eo quod ad fidem minime hoc pertinere censebat.
4. Concilium Carthaginiense sub S. Cypriano non fuit plenarium sed particulare, ut apertissime ostendit S. Augustinus adversus donatistas.
5. Mala ex cruciatis expeditionibus manata non negamus, potius longe majoris momenti bona provenisse defendimus.
6. Gradensis Patriarchatus Venetias translatus fuit a Nicolao V. R. P. non a Leone IX sicuti nonnulli contendunt.

## EX JURE ECCLESIASTICO

1. Falsitas decretalium Isidori Mercatoris multis validisque argumentis evincitur.
2. Etsi magni habeamus Parochi dignitatem, eam divinitus institutam fuisse negamus.
3. Jura quædam ad Metropolitas vel ad Concilia Provincialia olim spectantia, nonnisi ob Ecclesiæ utilitatem ad Romanum Pontificem devoluta sunt.
4. Sola ecclesia jure proprio et originario, potest legitime statuere impedimenta Matrimonium dirimentia ; et hoc quoque civili societati conceditur quoad effectus civiles, non quoad vinculum et validitatem Sacramenti.
5. Conciliorum provincialium et dioecesanorum celebrationem justis de causis Concilium Tridentinum jussisse defendimus.
6. Patronus Ecclesiam indigentem restaurare detrectans jure suo ab Episcopo legitime privari potest.
7. Regium *Placet* inter jura majestatica falso recenseri asserimus.

## EX THEOLOGIA DOGMATICA

1. Religio Mosaica divinam quidem prodit originem, sed illi perfectior succedere debuit.
2. Revelationis necessitatem, quam invictissimis vindicamus argumentis, hypotheticam adstruimus non absolutam.
3. Religio christiana in omnibus suis partibus præstantissima est Deoque dignissima.
4. Ecclesia est omnis errandi periculi expers non modo quia habet sponsum Christum, verum etiam quia regitur magisterio Spiritus Sancti.
5. De Trinitatis Mysterio, si loquimur, cum divinæ naturæ unitas in tribus personis asseritur, non specifica unitas, sed numerica intelligitur.
6. Humana natura in Christo divinæ unita fuit in unica Verbi persona.
7. Deus neminen absoluto decreto ad interitum, prædestinavit; sed reprobationis causa sunt peccata.
8. Confessio sacramentalis ad aures Sacerdotis facienda est vere a Christo instituta, estque jure divino necessaria.

## EX THEOLOGIA MORALI

1. Sensus moralis nequit esse summum honestatis principium.
2. Turpissime aberrant, qui, non solum vindictæ jus in eo statu quam naturæ vocant, privato cuique attribuunt, sed, quod foedius est, ex injuria infinitum jus enasci docent, adversus eum qui injuriam intulerit.
3. Vehementer hallucinantur qui cum Kantio asseverant, omnem amorem inquinamento sensualitatis infectum esse.
4. In officiorum collisione tum illorum qualitatem cum eorum quantitatem attendamus necesse est.
5. Illud effatum = bonorum et rerum communionem in jure naturæ fundari, ac ideo nullum dominium nullumque jus proprietatis in humana societate esse admittendum = quod perditissimi homines nostra ætate pleno ore jactitant, prorsus absurdum est.
6. Imputatio non a consequente, sed ab antecedente conscientia repetenda est.
7. Nefas est homini præripere sibi curriculum virtutis cum vitæ cursu a Deo assignatum, totoque vitæ tempore conficiendum.

## EX THEOLOGIA PASTORALI

1. Pastoralis scientia qua talis haberi debet quatenus habet summum principium.
2. Pastorali scientiæ non parum incrementi attulit S. Laurentius Justinianus Proto-Patriarcha Venetiarum.
3. Quæstioni inter Theologos exortæ, an pro diebus festis suppressis vigeat adhuc Parochorum obligatio Missam pro populo applicandi, occurrimus illa regula generali; toties tenetur Parochus applicare, quoties populus tenetur audire.
4. Doceat S. Pastor plebem sibi commissam: haud Eccl. præceptum implere qui in vigilia N. D. ante mediam noctem Missam pro die sequenti audiret.
5. Sacer Pastor summopere curare debet, ut informes foectus, qui, paucis a conceptione diebus transactis, in lucem emittuntur, conditionato baptismo ab obstetricibus donentur.
6. Ex pluribus S. R. C. decretis usus annuli in Missæ celebratione Parochis interdicitur.